

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1096

1094

1100

1090

1105

1085

1045

0995

0595

0095

Ende

Anfang

523

De periculosissima erratione et deviatione peregrinorum
tertiae societatis per solitudinem.

Processimus ergo per arenosos et latissimos campos, per
quos S. Moyses cum universo populo Israel de Aegypto egre-
diens a mari rubro ascendit et hora tempestiva, dum adhuc
multum diei superesset, in quodam loco, dicto Wardachii, be-
stias exoneraverunt, quod nobis displicuit, quia festinavimus
venire Alexandriam. Sed nostri ductores hoc non curabant,
quia ante solis occasum dormire et quiescere intendebant, ut
per noctem vigilare et insolescere possent juxta ritum sui
inutilis jejunii. Dum ergo in loco illo tentoria nostra figere
vellemus, clavi lignei, quibus funes alligabantur, non poterant
tenere propter tenuem arenam, in quam non firmiter infigeban-
tur, et cum hoc paucos adhuc palos habuimus, aliis per deser-
tum amisis. Sedimus ergo in calore solis in arenti arena cum
impatientia et murmure contra ductores nostros. Porro a loco
illo vidimus inter nos et mare rubrum cumulos arenarum et
monticulos et per medium illorum discrete vidimus mare rubrum
et videbatur nobis, quod vix per milliare italicum a nobis di-
staret. Unus ergo de militibus (**67a**) tertiae societatis, in
qua ego fui, dixit: ut quid hic sedentes in ardore solis tabes-
cimus et ignavia marcemus? Ecce, ibi est mare rubrum et
multum superest diei; descendamus quoeso ad refrigerandum
nos et ad deducendum tempus. Hoc dicens nemo sibi respon-
dit et addidit: non sunt, inquit, fideles socii inter vos, qui
audeant ad tantillum spatium mecum proficisci pro sua et mea
recreatione? paratus ego essem inire bellum pro vobis, et nullus
vult mecum ire ad balneum? Quid formidatis? quid timetis?
Cumque diceremus sibi, quod Calinus non dimitteret nos, nisi
aliae duae societas etiam nobiscum descenderent, irrisit et
infidelitatem et formidulositatem multis verbis improperavit
nobis in faciem. Ad haec cum indignatione surreximus omnes
de tertia societate, in qua sola haec gerebantur et reassumitis
asinis simul ad mare descendere incepimus. Quod cernens
Calinus clamavit magna voce revocans nos. Similiter Arabes,
camelarii et asinarii et alii peregrini post nos clamabant, pre-
cantes ut maneremus; sed dissimulavimus audire et elongati

